



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

10. An etiam illis, qui paucis diebus ante conceptum morbum
communicarunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO X.

An etiam illis, qui paucis diebus ante conceptum morbum communicarunt?

Quæstionis explicatio.

Inualuit multis locis laudabilis admodū consuetudo, vt pleriq; singulis septimanis communicent: Quæritur itaque, quid si quis intermedio communionis tempore peste corripatur, an pastor teneat illi hoc sacramentum per modum viatici ministrare, an vero excusetur?

Responsio.

Quidam (a) putant teneri hac ratione. a Petrus de Ledesm. 1. p. Summæ de Euchar. c. 15. concl. 4. quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum viatici, vt ex hac vita felicius & securius migrent: sed qui modo antedicto communicauit, non sumpsit Eucharistiā vt viaticum, ergo morbo concepto tenetur iterum eam vt viaticum sumere, & consequenter tenebitur pastor illi ministrare. Confirmatur, quia hæc obligatio est propria illius temporis, quo adest tale periculum, nec orta fuerat, quādiu periculum non imminebat, ergo illi satisfacere non potuit per communionem prius

prius factam: Sicut econtra si existente periculo mortis homo peccaret communione omittendo, & postea periculum euaderet, non teneretur priorem obligationem implere, quia iam cessauit. Alii (a) putant non teneri idq; (vt apparet) probabilius, quia illi in substantia satisfecerunt praecepto communicandi in articulo mortis per modum viatici; est enim sensus huius praecepti hominem teneri paulo ante mortem communicare, nam finis praecepti videtur esse vt per communionem homo se ad transitum ex hac vita praeparet, quod satis assequitur, paulo ante mortem communicando. Sicut qui audiuiisset sacrum die festo ignorans tunc esse festum, talis non teneretur eodem die iterum aliud sacrum audire postquam cognouit esse diem festum. Confirmatur, quia tempus est breue a morbo, nam moraliter tempore pestis periculum morbi & mortis imminet, & reuera existit, licet illud homo ignoret, & ideo iam censetur adesse obligatio in re ipsa, quamuis homo ob ignorantiam excusetur, quod tamen non obstat quo minus per communionem eo tempore factam illi obligationi satisfaciatur eo, vel maxime quod vnusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtuales & implicitam implendi omnem obligationem quam potest & debet, licet forte illam ignoret, Di-

a Palud. in
4. dist. 9. q.
1. Soto. ibid.

Dices. Quid si æger communicavit à
quindecim diebus, tenebiturnè iterum com-
municare?

*a In 4. dist. 3
art. 1. q. 2.*

R. Paludano (a) videtur quod non, quia
ille extendit communionem per modum
viatici, etiã vsq; ad quindecim dies. Idem
videtur sentire Zuares, qui istud tempus
extendit vsq; ad 17. vel 18 & consequenter
non tenebitur pastor illi ministrare: Sed sa-
ne non est tempus illud multum extendē-
dum, quia securius & fructuosius est com-
municare. Mihi itaq; videt, non teneri, si
4. 5. 6. vel 7. dies ante imminentem mortē
communicasset, sed si pluribus, dubiū mi-
hi esset simpliciter, nisi homo talis esset, q
singulis hebdomadib. communicare con-
sueuisset, & fere non confiteretur, nisi ve-
nialia, & pastor sciret illum forti animo es-
se, & ad mortem obeundam bene disposi-
tum, neq; vlla exhortatione indigere, &c.
quia talis non esset in necessitate, aliàs in
dubio teneretur, vt in simili casu alibi dixi-
mus, quia illud est (b) tutius, & ideo
hoc casu, quo de salute agitur,
magis amplectendum

*b c. ad audi-
entiã, de ho-
micidio.*

):(

QVA